





B. N.  
309.

Xm. 195.

DISPUTATIO  
DE  
**SIMPLICIUM**  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

XV.

Ex Capitibus 9. 10. II. 12. 13. 14. 15. 16.

& 17. Libri quinti Galeni de simplicium  
medicamentorum facultatibus  
collecta:

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Argentoratensis Universitate proposita

MELCHIORE SEBIZIO,  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinae, Comite Palatino Cæsar-  
eo, ac Reipubl. Archiatro:

*Respondente*

THOMA GROSSMANNO,  
Freystadio-Silesio,

*Argentorati*

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LI.

ONKOMUS TITAN  
MUNDO ILLIGANS  
MUNDO ILLUMINANS  
'SUSITATIUS ORA'

三

Digitized by Google

תְּמִימָנֶה אֲלֵיכֶם כִּי תַּחֲזִיקְנָה בְּעֵדָה  
בְּעֵדָה וְבְעֵדָה תְּמִימָנֶה אֲלֵיכֶם

Оніяз з якою землею  
заселють та з якою землею  
заселють та з якою землею

ОЖИАМЕЕОНОА МУЛТ  
> Моделировано

THE END OF THE EIGHTH

# PROBLEMA

I.



Quænam propriè dicantur *μαλακία*, emollientia medicamenta, & qualia illa sint? Priusquam Galenus ad hoc quæsum respondeat, quid scirrhus sit, & ex qua materia genus, exponit: quia scirrho emolliendo tā *μαλακία* cump̄imis conveniunt. Inquit autem, scirrum esse tumorem præter naturam, doloris expertem, sed durum.

Inter eos autem quosdam esse dicit, qui ubi plurimum creverint, simul atque indurati fuerint, non modò dolore careant, verū etiam dūci dñlos sint. & planè àvadñlos.

Generantur autem ex humore crasso ac frigido, quales sunt in animalium corporibus *χολὴ* p̄ēlava, atra bilis, & pituita sup̄erexiccata. Proinde tumores scirrōsi omnes aut pituitosæ sunt substantia, aut atrabilaria, aut ex utroque hu-

more misti. Medicamenta igitur, quæ propriè *μαλακία* vocantur, sunt, quæ scirrhosis medentur tumoribus, ex resiccatâ, crassaque pītaea prognatis. Ejusmodi tumores potissimum in muscularum ca-

ribantur.

Qo 2 pītī-

pitibus, eorumque tendinibus consistere consueverunt. At quæ ab atrabilario succo indurantur, cancrosa sunt omnia, & μαλακία respuunt.

Quæ vero à lenro crassoque humore congelato indurata sunt, calida siccaque postulant pharma-  
ca: sed non tamen quæ valida sint ac violentia: sed sufficit, ut secundi, aut tertij sint ordinis ca-  
lefacientium, & primi exiccatum. Lib.9.c.9.

II.

Sintne in universum omnia μαλακία di-  
ctis gradibus calida & sicca? Negatur: idque  
hunc in modum stabilitur.

Si differentia est in corporibus induratis ratio-  
ne majoris & minoris, erit illa quoque in medi-  
camentis emollientibus, quæ viribus illis respondere  
debent. At differentia ratione majoris ac minoris  
est in corporibus induratis. Sunt enim alia alijs  
indurata magis & minus. Ergo eadem quoque  
differentia est in medicamentis, quæ illis mederi  
debent.

Illustrat hanc μαλακίαν differentiam Gale-  
nus aliquot exemplis.

Iusbecilliora enim μαλακία sunt adeps capri-  
nus & gallinarum, & moderatas duntaxat duri-  
tates emolliunt.

Valentior gallinarum gallorumq; adipe est an-  
serinus: caprarum hircinus: validior quoque tau-  
rinus. minus tamen quam hircinus.

Modice quoque emollit medulla cervina, & pōst  
eam vitulina. Talia enim omnia calida sunt &  
medio-

mediocriter sicca: & multò magis calefaciunt,  
quam siccant. Hinc si quis ea fortè calida hu-  
midaque dicere velit, carpendus non videtur.  
Paululum enim absunt ab ijs, quæ neque hume-  
rant, neque siccant.

Ex emollientium albo validiora sunt ammo-  
niacum, thymiana, styrax, galbanum & bdellium  
Scythicum. Verùm præstantiora ex illis sunt, quæ  
recentia, in veterata enim validius, quam oportet,  
siccant. Quod ipsum quoque usu venit in me-  
dulla & adipe. Nam & ipsa vetustate se ipsis  
tum acriora, tum sicciora evadunt.

Hoc ex genere est oleum etiam sicyonium, nec  
in postremis quod inveteratum, & ea quæ prepa-  
rantur, ut fusinum. Ad emollientium classem per-  
tinent quoque radix althæ & cucumeris agre-  
stis, sive asinini: itemque quedam plantæ, partim  
in oleo, partim in aqua decoctæ: v. g. folia malve  
sylvestris, tum cruda, tum cocta. Porcinus pre-  
terea adeps vetustatem passus. Sed salis nihil ad-  
dere convenit emollientibus. Hoc enim valde siccatur.

Cætera emollientia, tum simplicia, tum compo-  
sita, calida sunt secundo, & interdum etiam ter-  
tio ordine: leviter vero sicca. Inesse autem ijs de-  
bet virtus επιτλασιν, non secus ac suppuranti-  
bus. Quantò vero majore vacuandi pollere debent  
facultate, tanto utique minus etiam meatus illi-  
tu obstruere. Lib. 5. c. 9.

### III.

Quali temperamento prædicta sint τὰ σκλη-

οο 3 σύνον-

gúvovla, indurantia medicamenta? Frigido è  
humido: cuius generis sunt sempervivum, portu-  
laca, psyllium, lenticula palustris, solanum: quod  
tamen non est humidum simpliciter, sed medium  
inter absolute humectans & exiccans, compo-  
sum scil. ex pugnantibus facultatibus, nempe exic-  
cante & humectante: idq; eam ob causam, quia  
duplicem in se substantiam habet, terrenam &  
aqueam. Sed iam non est institutum Galeni ma-  
teriam medicam ualà μέσον, in specie & parti-  
culariter recensere: verùm duntaxat tās γενίναται  
δυνάμεις breviter determinare. Sane si quid si-  
mul refrigeret & desiccat, id quoque indurat.  
Verùm non est ex illorum numero, quae id iōs σκλη-  
ρυντικὰ appellantur. Id quod Galenus sic demon-  
strat, hoc premisso fundamento: quod durum cor-  
pus efficiatur ἀπὸ μᾶλλον, congelatione, sive  
concretione potius, quam καύωσι, evacuatione.

Itaque quod remedium vacuat, non congelat,  
id iōs indurans dici nequit. At quod simul &  
refrigerat, & siccatur, vacuatione magis, quam con-  
gelatione indurat. Ergo id iōs indurans dici non  
potest.

Quæ enim corpora indurantur ob evacuatio-  
nem sua humiditatis, siccata rectius, quam indu-  
rata dicuntur: & propterea non emollitione, sed  
humectatione curantur: quemadmodum tā συλ-  
ταμένα, tensa, sanantur χαλασικοῖς & καχαλα-  
σμένα, laxata, συρτατικοῖς, tendentibus. Libr. 5.  
cap. 10.

4. Quor.

Quotuplicia sint τὰ χαλασίν, laxantia remedia? Galenus dicit, non unam eorum esse speciem, sed variam & multiplicem. Prius vero quam species illas proponat, monet, quomodo haec remedia se habeant, apparere tūm in cure, tūm frequenter etiam in articulis. Hinc Hippocrates in principio libr. de liquidorum usu, δέρματος καλπή μάλθαξι: συσταμένη δὲ χάλασις, cutis duræ mollificatio: tensæ laxatio. Articulorum autem laxatio proficiuntur ab immodica ligamentorum & tendinum, quæ circa eos sunt, humectatione: tensio vero accidit, ijs aut plusculum exiccatis, aut refrigeratis, aut inflammatione affectis, aut scirrho obsessis. Cutis vero tūm basce ob causas, tūm etiam ob musculos illi subjectos in tumorem elevatos, tenditur. Tenditur & in quibusdam ob πολυταρκίαν, & ob inflammationem. Hinc patet, non unam laxantium remediorum speciem esse. Alia enim laxare solent ὑγραίνονται, humectando: alia θερμαίνονται, calefaciendo: alia μαλάτλονται, emolliendo: alia κενεύνται, vacuando: alia tumores præter naturam καθάρισονται, purgando: alia denique pluribus modis hoc prestando.

Si roges, an τὰ ἐμπλασίκα adeò varia sint? respondet Galenus, nequaquam, sed omne ἐμπλασίκον tenaciter corporis poris, sive meatibus illatum inherere: de quib. in libr. de temperamentis actum. Demonstratum autem est etiam libro quar-

τὸν τὰ ἐμπλασίας οὐκέτε καρεῖ μορδασίᾳ: εἶναι  
ἰνσύπερ σύστασις τερρενάς αὐτοῦ νίσκοσαί λέγεται.

Verumque probari potest facile.

Nam quod remedium poros infarcire & ob-  
struere debet, id crassum & terrenum sit oportet.  
Εμπλασίαν δὲ pharmacum poros debet infarcire &  
obstruere. Ergo debet esse crassum atque terre-  
num. Liquida enim & tenuia minime infaciunt,  
neque obstruunt.

Ruxsus, quod pharmacum tenaciter inhærente  
debet poros ac meatibus. id deceat esse viscosum  
& glutinosum. At εμπλασίαν pharmacum te-  
naciter inhærente debet poros ac meatibus. Ergo  
deceat esse viscidum, lentum ac glutinosum.

Quod ratiōnē mordacitatis exp̄ers, esse rene-  
atur, sic probatur. Quod acre est & mordax, id  
hærente in poris non potest, sed excernitur facile,  
aut partium aliquam liquando, aut certè humo-  
rem aliquem ex alto attrahendo. Atqui empla-  
sticum debet hærente in poris. Ergo acre & mor-  
dax esse nequit. Libr. 5. c. II.

## V.

Quomodo τὰ ἐκκαθαρία, ή ἐκφρακτικὰ τῶν  
πάρων, poros expurgantia, aut infarctu liber-  
tantia, τὰ ἐμπλασία, ή ἐμφρακτικὰ, infarcientia  
& obturantia, καὶ τὰ πυρητικὰ, extergentia, sive  
abstergentia, inter se differant? Τὰ ἐκφρακτικὰ  
τῶν πάρων differunt ab emplasticis. 1. τοῖς ἔργοις  
affectu. 2. τῇ φύσῃ τῇ σύμβολῳ, corporis natura.  
Et enim emplastica sunt, uti dictum, mordacitatis  
exp̄er-

expertia, viscosa, crassa atque serena. Ecphracti-  
ca vero, sive ecchathartica pororum, viscosa & len-  
ta non sunt, neque mordacitatis expertia, verum  
nitrosa & subtilia.

Ceterum emplastica & sordes ἐπιλεφοντα, fo-  
rentia, tantum ratione majoris ac minoris, non  
substantie genere inter se differunt. Eodem modo  
neque τὰ ἀκαθαρτικὰ, η ἐκφρακτικὰ τῶν πόρων  
genere substantiae discrepant, sed solum καθ' ἡτού  
μέλλον.

Nam quae sordes in superficie auferunt, v.g.  
in cute, aut ulceribus, ea πυτλικὰ, extergentia  
pominantur. Quae vero poros ac meatus etiam  
expurgant, ἐκφρακτικὰ καὶ ἀκαθαρτικὰ τῶν πόρων  
appellata, ea partium sunt subtiliorum & empla-  
sticis contraria: nitrosa item atque amara. Ideo-  
que cuti imposita sordes abstergunt; intrò vero  
in corpus assumpta, licet ipsis adjuncta sit aliqua  
adstrictio, magnos tamen meatus, quales in vasis  
existunt, abstergere & expurgare queunt. Extrin-  
secus quidem pori cutis, ob exilitatem, ratione ad-  
strictio, que quibusdam ἀκαθαρτοῖς inest, oc-  
cluduntur, ac ob id miuūs probè expurgantur,  
quod abstergentem facultatem in altum recipere  
nequeant: at meatus viscerum interiorum, hep-  
atis maxime & lienis, geminam inde nascuntur  
utilitatem; unam, quod ob vim adstrictioram  
corroborentur; alteram, quod à talibus ἐκφρακ-  
τοῖς expurgantur. Proinde absinthium intus mea-  
tus repurgare valet, foris non valet. Constat enim

Oo 5 amara

amara, acerbaq; qualitate, de quib. hic præcipue agitur, ea ad quoslibet meatus extergēdos prosunt. Et cutis ac ulcerum sordes non hæc solum, sed vi-ribus etiam minora tollere possunt: cujusmodi sunt dulcia, quæ tenuium sunt partium: utpote mel, & ex cerealibus seminibus nonnulla, scil. eruum, fabæ, hordeum, lupini. Fabacea ramen hordeaceaq; fari-na tantum extergit, non etiam meatus ab infarctu liberat. Erui autem & lupinorum, potissimum si fuerint amara, preter quam quod extergunt, nonnihil etiam meatus expurgare valent. Simile quid accidit amygdalis amaris. Nam & ista detergunt, & meatus expurgant. Dulcia vero detergunt quidem, at meatus non repurgant. Quin & urticæ semen, non secus atq; eruum & amygdala amara, meatus purgat. Ex eodem genere etiam sunt scylla, iris, & alia quævis, amarore vincente prædita. Eadem insuper vi abstergendi meatusque purgandi prædicta sunt nitrum, aphro-nitrum, seriphon, abrotонum, alia, cum cibo potu-que sumpta. Crassos quippe lentesque humores attenuant, quemadmodum τὰ θυματικὰ tales reddunt. Aptiora igitur hisce medicamenta, quæ lentes ac pituitos thoracis pulmonumque humores ac pus incident, attenuant atque educant, invenire non licet. Expurgant prætereà obstructio-nes hepatis, modicas quoque lienis. Nam quæ ma-jores sunt, valentiora desiderant, nimirūm corti-cem capparis, radices tamaritis, scolopendrium: scyllam, & asplenum. Utendum autem istis est  
hepatis

hepatis causa per se. Cùm verò lienis graria usurpanda sunt, aceto mistis, aut ei incoctis.

Quando thoraci & pulmoni accommodanda sunt, cum melicrato, ptissana, oxymelite, aut aliquo vino dulci propinari debent. Verum hæc doctrina ad medendi methodum & ad composit. medicamentorum pertinent. Libr. 5. c. 12.

#### VI.

Qualia sint, quæ suspitikæ dicuntur? Quæ urinas strenue movent, dictis sunt acriora & calidiora. Omne siquidem acre calidum est, ut libr. 4. dictum. Ejus generis sunt semen apij, petroselini, foeniculi, dauci; agrioselinii, smyrniij, seseli, ammi, phu, meum, asarum, acorum.

Quod autem ista sint suspitikæ, sic probatur. Quæ sanguinem non solùm attenuant, sed etiam fundunt & secernunt, non secus ac coagulum, quod facit, ut serum à lacte separetur, & residuum coeat, ea reverè suspitikæ sunt. Hoc dicta simplicia ista præstant. Ergo suspitikæ sunt.

Vt enim renes quod in sanguine aqueum est, tenuerūt serosum, facile ad se trahant, utraq; hac efficiunt: nimirūm χύονται τοῦ αἷματος, fusio totius sanguinis, & diægitis, segregatio serri à sanguine. At neutrūm absque valido calore peragi potest. Sequitur ergo, tā suspitikæ calida satis esse.

Quæres, utrum talia etiam conveniant ipsis, qui pus ex thorace expuere debent? Respondet

Gale-

Galenus, talia illis planè esse, adversa; idque hoc argumento planum facit.

Quæ expectorationem impediunt, ea talibus sunt adversa. Dispunctione recensita impedit expectorationem. Ergo iis sunt inimica.

Major manifesta est, quoniam empyicis, in modo & phthisicis, expectoratio summè utilis ac necessaria est,

Minor vero probatur hoc prosyllogismo.

Quæ faciunt, ut quod in sanguine serosum est ac tenui, renes ad se trahant, quod crassum cogatur & exicetur, ea expectorationē impediunt.

Dispunctione hoc faciunt. Ergo expectorationem impediunt.

Minor probatur. Quorum natura est degenerativa, excavatoria, evaporativa, exicatoria, suavatrix, coactoria, nati & insipitrix, secretoria, ea faciunt, ut quod in sanguine est serosum, ac tenui, renes ad se trahant, quod vero crassum, cogatur & exicetur. At talis est natura Dispunctionis. Ergo.

Si roges, qualia ergo deceat illa esse, quæ materias expectorare tenentur? Respondebat Galenus, debere illa habere vim tumentem, incidendi, sive dissecandi, sed non tamen iusigniter calidam.

Probatque istud hoc modo.

Quod admodum siccatur, id facit, ut materia pectori & pulmonibus impacta difficulter expuatur. At medicamentum valde calidum admodum siccatur. Ergo facit, ut materia pectori pulmonibus impacta difficulter expuatur.

Hinc

Hinc sit, ut expectorantia medicamina com-  
moditatis gratia, quo scilicet officium suum eo me-  
lius facere possint, cum sorbitionibus ac potionib-  
us humectantibus exhiberi debeant. Quae renes  
expurgant, incidentia quidem & dissecantia  
sunt, verum larga humiditate non egent. Lib. 5.  
cap. 13.

## VII.

Qualia sint illa, quae in renibus πωρώδεις  
busareis, callosas, sive tophaceas materias, inci-  
dere tenentur? Talia ait Galenus & ipsa qui-  
dem etiam ixavōs τρυπτικά sunt, admodum inci-  
dentia, sed caloris minimum possident. Probatur  
hoc sequenti medio.

Quod τὸν πῶρον σύνιστι, porum, sive callum  
exiccando contrahit, id non incidit, neque dividit.  
At quae sunt præcalida τὸν πῶρον, h. e. callum,  
tophum, sive calculum in renibus contrahunt, h. e.  
magis exiccant atque indurant. Ergo non inci-  
dunt, neque dividunt.

Quae igitur minus calida sunt, & tamen inci-  
dendi dissecandi que virtute donatae, ad hoc offi-  
cium in renibus præstandum meliora quoq; sunt:  
ut radices τῶν Βασικικῶν ὄνομαζομένων ἀσπαρά-  
γῶν, regiorum asparagorum, rubi, betonica, polium;  
ochra, vitrum ustum, acetum scilliticum, aliaque  
hujus generis multa. At Thessalus οὐαστατός,  
insulsissimus ac imperitissimus, sicuti pleraq; alia  
artis dogmata probris ac contumelias affecit, ita  
& hæc quoque diserpere, ac convitius proscindere  
minimis.

minime erubuit, mordicus defendens, nullum medicamentum iδίως esse ιπατικόν, υφερικόν, ή πλευρικόν. Libr. 5. c. 13.

### VIII.

De quorum medicaminum natura & qualitatibus agendum deinceps? Galenus ait, se de illorum acturum esse qualitatibus, quae præcedentibus, h.e. quæ ἐκφυτικοῖς, πυνθικοῖς, διαγεντιοῖς & τυπικοῖς sunt vicina. Præcipue vero de rarefacentium, quæ dicuntur ἀραιώτικα, & de aperientium, quæ ἀβασικά appellantur. Prius autem nomina illorum distinguenda, & quid quodlibet eorum propriè sit, declarandum esse monet.

Quæ ergo cutis poros referant, ἀραιώτικα vocamus: quæ orificia vasorum reclidunt, ἀβασικά dicimus. Hisce contraria sunt 1. τὰ πυνθικά, condensantia, quæ poros contrahunt: 2. quæ oscula vasorum occludunt, quæ tamen proprio nomine carent, sed generalibus duntaxat quibusdam nominibus exprimuntur, & οὐνάζοντα, centrahentia, κλεία, occludentia, σφίγγοντα, constringentia, καὶ σεγύντα, obstruentia nuncupantur.

Αραιώτικῶν autem natura modice est calida, minime sicca & tenuum partium.

Αβασικῶν acris, mordax, substantiae crassæ. Πυνθικῶν frigida, sed non terrena, neque aërea, verum porius aquæ.

Τῶν κλείων, eorum, quæ oscula vasorum claudunt, frigida crassarumque partium.

Exemps

Exempla rarefacentium sunt chamælum,  
althæa, oleum chamælinum & althææ, oleum  
cucumeris asinini, ol. vetus, cicinum & raphani-  
num.

Exempla aperientium sunt ea, quæ acria sunt  
& terrena: ut cyclaminus, allia, cepæ, fel tauri-  
nam, oleum irinum & amaracinum, quæ etiam  
cæcas aperiunt hæmorrhoidas.

Quæ uteri os à phlegmone, aut scirro, aut  
ariditate occlusum aperire dicuntur, per accidens,  
non autem per se & primariò aperiendi habere  
facultatem censentur. Quemadmodum nec ea, quæ  
labiorum à phlegmone occlusorum, aut genarum,  
aut narum, aut gutturi, aut præputij, aut sedis,  
aut osculi alterius alicujus partis inflammatio-  
nem sanant, occlusionemve corrigunt. Dicuntur  
enim solvere inflammationem, nequaquam verd  
ἀνασοματικῶν nomine veniunt. Quocirca in errore  
versatur Dioscorides, quando medicamen, quod  
laxat, emollit, humectat, aut phlegmonem tollit,  
ἀνασοματικὸν nominat.

Atque hæc est aperientium & rarefacentium  
natura: sequitur ea, quæ contrariis inest phar-  
macis.

Πυκνωτικῶν ea est xeræcis, quæ aquæ frigidæ,  
sempervivi, portulacæ, tribuli viridis, psyllij, pilo-  
sellæ, sive auriculæ muris, lenticulæ palustris, & in  
summa eorum, quæ refrigerant, sed non adstrin-  
gunt. Proinde & mandragora, cicuta, hyoscyamus,  
papaver, si modice usurpentur, condensant. Sin  
libe-

liberalius, non modo condensant, sed etiam stupefaciunt. Si vero plurimum, non solum stupefactiunt, verum etiam enecant.

Συνάγοντες, σφιγγόντες, οὐ σερβίσοντες, quæ supra contraria esse diximus τοῖς ἀνασφελίκοις, substantia est crassa, frigida, & adstrictoria, eorum scil. quæ acrimoniam admistam non habent. Exempla tradita fuerunt libr. 4. ubi dictum, substantiam eorum esse terrenam ac frigidam.

Quod autem ista vasorum orificia præter naturam aperta occludere ac contrahere valeant, Galenus rati probat argumento.

Quibus medicamentis adsunt ea omnia, quæ ad occlusionem & contractionem orificiorum in vasis requiruntur, ea hanc immitiò vasorum orificiis præter naturam aperte contrahere & occludere statuuntur. At dictis medicamentis talia adsunt omnia. Ergo meritò statuuntur claudere orificia in vasis.

Minor probatur. Quæ medicamenta ob substantia crassitatem foris incambunt, nec parvos meatus penetrare possunt: frigiditate insuper sua intro premunt, & undique in se contacte vicinaque corpora cogunt & contrahunt, ac proinde siccando humorem depassunt, partemque adstringendo roborant, ijs adsunt ea omnia, quæ ad occlusionem & contractionem meatum extitum requiruntur. Medicamenta ἀνασφελίκη contraria, quæ συνάγονται, σφιγγοῦνται, οὐ σερβίσονται fuerunt appellatae, hac omnia praestant. Ergo ijs adsunt

adsunt ea omnia, quæ ad occlusionem & contra-  
ctionem exilium meatuum requiruntur. Ut enim  
foris à manibus meatus corporum contrahi con-  
stringique possunt, ita in corpore vasorum oscula  
à talibus remedii, quæ frigida, crassa, sicca & ad-  
stringentia, occludi contrahique solent. Libr. 5.  
cap. 14.

### IX.

Possintne ea simplicia, quæ frigida quidem  
sunt, aut æquæ, aut etiam intensius, quam  
prædicta, sed aqueæ substantiæ, similiter po-  
ros contrahere? Respondet Galenus, talia qui-  
dem contrahere & constringere posse vasorum  
oscula, sed ad evās, debiliter.

Confirmat istud hoc argumento.

Quæ aquæ sunt, mollia sunt. Dicta modò sim-  
plicia aquæ sunt. Ergo mollia.

Quæ autem mollia existunt, ea valenter con-  
trahere & constringere non possunt. Dicta sim-  
plicia mollia sunt, quia aquosa. Ergo valenter  
contrahere & constringere nequeunt.

Nam quod valenter, ἰσχυρῶς, constipare &  
constringere debet, id robur quoddam ἀνθετικὸν,  
renitens, καὶ σκληρὸν, & durum habere oportet.  
At tale robur aquæ & mollia simplicia non ha-  
bent. Ergo neque valenter constipare & constringere possunt. Valent ergo talia quidem exiles  
poros in unoquoq; corpore contrahere & conden-  
sare, τὸ δὲ ὅλον ὄγηρον, totum vero instrumentum,  
undi quaque constringere nequeunt.

pp

Qua-

Quapropter ejusmodi simplicia αρωματικὰ quidem sunt, non tamen σεγνωτικὰ, obstruentia. Vocat autem Galenus hoc loco σεγνωτικὰ illa simplicia, quae τὰς άιδητικὰς ἐκκρίσεις, sensibiles excretiones cohibent. Nam corpus σεγνωτικὸν, quod σέγει, sive claudit, ac continet in se, nihil, quod sensu percipi queat, ex sese emitit, σεγνὸν nuncupatur. Recensita igitur simplicia ejus sunt temperatura ac facultatis, sicuti expositum.

At τὰ ἀρωματικὰ prorsum quidem calefaciunt, non autem valde calida, & sicca esse tenentur.

Quod calida esse debeant, sic probatur.

Quae simplicia debent fundere & laxare substantiam, porosque aperire & dilatare, ea calefacientis sint naturae oportet. Τὰ ἀρωματικὰ haec facere debent. Ergo calida sint oportet.

Quod non valde calida esse deceat, hunc in modum stabilitur.

Quae valde calida sunt, acria sunt, & horrorem inducunt. At τὰ ἀρωματικὰ horrorem inducere non debent. Ergo non debent etiam valde esse calida.

Quod denique non valde siccare debeant, sic confirmatur.

Quae potenter sicca sunt, ea sensilia corpora colliquant & dolorem in ijs pariunt. Τὰ ἀρωματικὰ haec non facere debent. Ergo potenter sicca esse minimè decet. Lib. 5. c. 14.

X.

Qualia sint ἰσχαρωτικὰ, καυσικὰ, συπτικὰ, καὶ καθα-

καθαρικὰ? Quae simplicia ἀλύτως, sine molestia  
calefaciunt, ea sola omnium sunt καθαρικὰ, rare-  
facentia. Si vero non modo fuerint calida, sed  
etiam consistentia crassæ, siquidem sint vehemen-  
tia, & καυσικὰ; h. e. urentia, tūm & ignis instar  
οὐρτίκης τὰ σώματα, corpora colliquant, & escha-  
ras, sive crustas instar cauteriorum efficiunt. Sin  
debilius, quam ut urere queant, calefaciunt, ἀνε-  
δουλικὴν δέντρα obtinent. Itaque omne medi-  
camentum ἀναπολικὸν substantiae quidem terreæ  
est atque igneæ, non ita tamen calidum, ut urat.  
Si vero καυσικὸν sit, non tamen admodum λεπ-  
ραρες, id plane ἀδυκτοὶ erit, h. e. ab omni morda-  
citatem alienum: aut exiguo saltem tūm dolore,  
tūm morsu carnosas partes eliquabit. Nam quod  
non alterat ἀθρόως, confertim, ut vehementer  
calida, quodque non agre penetrat, seu τὰ ωχο-  
μερῆ, latenter actionem obtinent. Alterationes  
enim, quæ subito confertimque fiunt, mutationes  
sunt maxime sensibiles: itemque penetrantiores,  
quæ sunt violentæ. Quod enim in crassa substanc-  
ia est καυσικὸν, id cuicunque parti inhæserit, in-  
fixum rith stipitis excruciat. Et hoc quidem est  
& καθαρικὸν, perinde ut τὰ καυσικὰ.

Verūm de quib. jam agitur, & καθαρικὰ non  
sunt, sed vocantur οντίκα, putrefacientia, non  
quidem idios καὶ rugiōs.

Etenim quæ verè sunt οντίκα, humectant &  
calefaciunt. Dicta simplicia non humectant, non  
calefaciunt. Ergo verè οντίκα non sunt. Dicun-

tur autem analogicè συντίκα, eo quod ab utrisque nullo doloris sensu corruptio fiat. Multis quippe modis aliquid corrumpi potest. Nam quæ plus nimio vel calefacta, vel refrigerata, vel siccata, vel humectata sunt, ea omnia corrumpi dicuntur. Verum non quicquid corruptitur, σύντεξις, putreficerre asserimus: sed quæ cum fætore corruptuntur. De nominib. autem non admodum sollicitos nos esse decet: sed potius novisse expedit, τὰ συντίκα, ut auripigmentum, arsenicum, sandaracham, chrysocollam, dryopterin, pityocampen, aconitum, οὐράνιον, eliquare, οὐρανίον, colliquare, at possumim Carnem tenellam, idque χωρὶς οδόντων, absque dolore. Inter illa vero quædam sunt, quæ ἴδιος καθαιρετικὰ vocantur: iisque utuntur τὰς ἐπελάστεις τῶν ὑπερσαρκώντων ἐλκῶν, ad inducendam ulceribus, in quibus caro excrescit, cicatricem. Quæ tamen οὐ ipsa septicæ sunt facultatis, verum debilioris: eo quod extimam solum superficiem, quam contingunt, detrahant, non tamen in altum penetrare valeant. Quanquam nec talia revera (οὐλος) facultatis sint ἐπελάστικης. Id quod planum sit hoc argumento.

Quæ vere sunt ἐπελάστικὰ, non detrahere, neque liquare sunt nata, sed indurare & desiccare: ut sunt alumén, galla omphacitis, æs ustum, præfer-  
tim quod lotum. Hoc enim omnium ἐπελάστικῶν est longè præstantissimum.

Probatur istud hoc modo. Quod simplex probè cicatricem inducit, id perficiens, moderate adstringit

git atque desiccatur. Hoc facit as usum & lotum.  
Ergo. Ad hoc ἐπιλωτικῶν genus etiam pertinet  
fructus spine Aegyptiae, acacia dictus, & malico-  
rium. Lib. 5. c. 1. 5.

XI.

Quæ sint propriè dicta ἐπιλωτικὰ, & qua-  
lia sint? Galenus conqueritur, quod non solum  
apud plerosq; Medicos confusa sit simplicium ap-  
pellatio, verum etiam facultatis medicamentorum  
cognitio. Nam quæ carnem detrahunt & colli-  
quant, græcè καθαιρετικὰ καὶ συντηκτικὰ dicta, illæ  
nonnunquam ἐπιλωτικὰ vocant: eò quod illorum  
usu ulcera sapè ad cicatricem perveniant. Verum  
Galenus hoc placitum sic refutat.

Quæ neque πρώτοι, neque κατὰ τὴν οἰκεῖαν ἀ-  
τῶν δύναμιν, neque ἐπὶ τάσῃ χρήσει cicatricem  
inducunt, ea ὅντως ἐπιλωτικὰ non sunt. At τὰ  
καθαιρετικὰ καὶ συντηκτικὰ τῆς σφραγίδος, neq; πρώτως  
primariò, neq; κατὰ τὴν οἰκεῖαν ἀτῶν δύναμιν, pe-  
culiari ipsorum facultate, neq; in omni usu cica-  
tricem inducunt. Ergo ὅντως ἐπιλωτικὰ non sunt.

Minorem Galenus probat.

Quæ medicamenta in subtilissimum pollinem  
trita, in minima solum quantitate per specilli-  
cuspidem carnem leviter contingunt, eique cica-  
tricem in ulcere inducunt: in largiore autem ei-  
dem inspersa mordicant liquantque carnem, &  
ulcus cavum efficiunt, ea neque πρώτως, neque  
propria virtute, neque semper cicatricem indu-  
cunt. Prius faciunt τὰ καθαιρετικὰ καὶ τὰ συν-

τηλίκια. Ergo neque τρέπεται, neque propria virtute, neque semper in quovis usu cicatricem parvunt.

Contra, quæ primariò, virtute propria, & semper, etiam in larga satis copia adhibita, ulceræ cicatrizant, ea revera & propriè ἐπουλωτικὰ dici merentur. At quæ carnem ita alterant, ut similis cuti evadat, contrahendo scil. constringendo, constipando, densando, siccando, & calli instar indurando, primariò, virtute propria, & semper, etiam in magna copia imposta, ulceræ cicatrizant. Ergo hæc revera & propriè ἐπουλωτικὰ dicitur merentur: nam apertinè vero secundariò solum & per accidens, sicut & ea, quæ absque adstrictione desiccandi facultatem habent, mordacitatis expertem. Nam & hæc etiam cicatricem induunt per accidens, ut myrra, lithargyrus, combusta ostrea, diphriges. Hæc enim, si sicca inspergantur, cicatricem sæpenumerò creant. Sæpenumerò, quia aliquando actione sua frustrantur, eò quod nec primariò, nec propria vi operentur.

Omne ergo ἐπουλωτικὸν ulcus planum cicatrice claudit. Omne autem τραγωτικὸν mediocriter citraque moxsum abstergendo cavitatem ulceris implet. Libr. 5. c. 16.

## XII.

Quæ medicamenta dicantur ἔλυτικα, attrahentia? qualia sint ratione substantiæ & temperaturæ? & quotuplicia sint? Ad primum responderetur, attrahentia esse, quæ ex alto vehementius

mentius extrahunt. Ad secundum dicitur, attrahentia calida esse & tenuium partium: & magis talia esse, quae sunt tenuiora. Ad tertiam responder Galenus, attrahentia esse triplicia. Quædam àυτοφεν̄ talia, nempe κράσει calida: ut dictamus, propolis, thapsia, sagapenum, succus cyrenaicus, & μυδικὸς, & similia alia. Nonnulla ex συπεδόν, ex putrefactione, ut fermentum & vocatum θωρικόν. Quod si simi quoque putridi fuerint, utique omnes attrahendi facultate pollebunt. Verum non parva in illis est diversitas. Columbinus enim admodum attrahit. Ex equo autem utrinque ab hoc recesserunt, ad calidius quidem anserinus: ad frigidius verò gallinaceus: hoc etiam magis vincuntur humanus & suillus. At canum sterlus simile est medicamentis ρυπτίνοις, abſtergentibus, præsertim si ossibus vescantur. Crocodilorum autem terrestrium magis id perficit. Aliqua denique attrahentia sunt ὀμοιότητι τοιούτῳ, familiaritate qualitatis, quod nil est aliud, quam ὀμοιότητι τῆς ὅλης στοιχίας, similitudine totius substantiae: velut ea sunt quae nutriuntur. Hæc enim τὰ στοιχία τροφὰς, familiaria nutrimenta attrahunt. Ex hoc tertio attrahentium genere sunt τὰ καθαίροντα πάντα, omnia purgantia pharmaca, & quædam etiam ἀλεξηθήσια.

Hujus verò albi medicamina omnia necessariò sunt calida. Sed quæ essentius sunt similia, quod calidius est, id potentius attrahit. Confirmat hoc Galenus tali argumento.

Quæ geminam habent attractionis causam, ea  
potentius attrahunt, quam quæ causam attra-  
ctionis tantum unam in se habent.

At ὄμοια τοῦ στίχου, θερμότερα δὲ, quæ essentius  
similia sunt, calidiora vero aliis, geminam habent  
attractionis causam; τὸν ὄμοιότητα τοῦ στίχου, καὶ  
τὴν θερμότητα σφραγίσθεται. Ergo potentius attra-  
hunt ipsis, quæ unum duntaxat calorem obtinent.

Nihil autem refert, sive ἐπισπασμὸν, sive  
ἐλκυσμὸν, sive ἐλκυσμὴν hanc attractricem medica-  
minum facultatem appelles. Sunt enim vocabula  
ista ἴσοδυναμεῖα, equipollentia. Lib. 5. c. 17.

### XIII.

Quæ vocentur ἀποκρυπτικὰ, repercutientia?  
qualia sint substantia & crassi? & quæ ex ijs  
sint validiora? Αποκρυπτικὰ nominantur, quæ oc-  
currentes sibi succos in altum repellunt. Tempe-  
ramento sunt frigida, substantia crassa. Et quā  
frigidiora sunt, quoque crassiora, eō repercutiunt  
vehementius, ut τὰ σύφοντα, adstringentia. Lib. 5.  
cap. 17.



## COROLLARIA.

### I.

**U**Trum medicamenta tantum in nos a-  
gant, an etiam vicissim aliquid à nobis  
patiantur? Galenus quidem l. 1. simpl. cap. 1.  
medis

medicamenta definit, quod sint ἀλλοιωτικὰ τῆς φύ-  
σεως ιμάντα, naturam nostram alterent. Videntur  
ergo tantum agere: alimenta autem pati, quia  
attrahuntur, retinentur, concoquuntur, apponun-  
tur, agglutinantur, tandemque prorsus assimilan-  
tur. Verum & medicamenta aliquid à corpore  
nostro pati videntur, quatenus à calore ejus in-  
actum deducuntur, & quatenus aliquando actione  
sua frustrantur, ut purgantium exemplo de-  
clarari potest. Sed respondetur, medicamenta, si  
proprius illorum finis & usus spectetur, rectè agen-  
tia vocari: quoniam corpus nostrum ex statu præ-  
ter naturam ad statum naturalem reducunt: que  
sanè mutatio alteratio quedam est. Præstant au-  
tem hoc vel per se & directè, quando suis quali-  
tatibus contrariis in nos agunt: vel per accidens  
& indirectè, cùm vacuant. Vacuatis enim v. g.  
serventibus humoribus in febri ardenti, alteratio  
corporis consequitur, idque refrigeratur. Licet au-  
tem à calore corporis nostri actuentur, hacque ra-  
tione aliquid patiantur, tamen cùm in actum sunt  
deducta, corpus alterant. Et quamvis interdum  
nihil operentur, sed actione sua frustrantur, id ta-  
men per accidens solum sit: vel quia ab ego im-  
pediuntur assumptio cibo, hausto potu, somno capto,  
corpore immodecum moto, &c. vel quia non in justa  
dosi fuerunt prescripta. Inter agens enim & pa-  
tiens quantitatis ratione debet esse certa propor-  
tio. Vel quia ipsa medicamina vieta sunt, obsoleta,  
& viribus orbata.

Pp) 5 2. An

II.

An non etiam alimenta in nos agant? Vi-  
dentur omnino agere, quia alunt & augent cor-  
pus nostrum. At alere & augere est aliquid age-  
re. Verum propterea alunt & augent, quia pa-  
riuntur. Ut præcedenti corollario dictum. Nisi  
enim illas passiones omnes sustinerent, alere &  
augere corpus nostrum nunquam possent.

III.

Pus quid? quæ illius materia? quæ forma?  
quæ efficiens? quis finis? Pus quid sit, ex  
causis patebit. Definitionem enim illius ex causis  
paulò post proponemus. Materia ab Hippocrate  
in fine libelli τερπὶ τροφῆς traditur triplex: san-  
guis, caro, & humiditas alia. Quod sanguis  
materia ejus sit, liquet ex inflammationibus, quæ,  
ut Galenus in med. methodo loquitur, sanguineæ  
fluxionis soboles sunt. Is enim in pus mutatur:  
quamvis etiam quedam inflammations non per  
modum εκταυτεως, sed per modum διαφορησεως sol-  
vantur. Priori modo desinunt inflammations  
magnæ, quarum materia crassior, & calor mate-  
riam non prorsus vincere potest. Posteriori ter-  
minantur inflammations minores, quarum ma-  
teria est subtilior, & calor potens, ita ut mate-  
riam, quæ influxit, superarit.

Quod caro, & maxime quæ contusa, puri  
materiam præbeat, restatum faciunt ulcera cava,  
quæ inflammations aliosque tumores quandoque  
sequi solent. Hujus autem cavitatis nulla est causa  
alia,

alia, quam quodd caro sit exesa, tiquata, inque puerulentam substantiam resoluta.

Quodd alij quoq; humores in pus vertantur, quanquam rarius, quam sanguis, itidem ex Hippocrate constat. Nam aphor. 20. sect. 7. scribit, maligii erysipelatis notam esse, si putredo, aut suppuratione illi superveniat. At erysipelas à bile ortum dicit, veluti Galenus l. 3. sympt. caus. c. 2. docet. Aphor. 38. sect. 7. dicit, destillationes inventrem superiorem ad suppurationem pervenire intra dies 20. At per destillationes illas Galenus in comm. catarrhos, qui à capite per arteriam asperam feruntur, intelligit. Hi autem ut plurimum pituitosi esse solent: ut in asthmate, tussi, orthopnoea experimur. Et in prognost. etiam œdemata, quæ secundum Galenum l. de tumor. p. n. c. 9. tenuis pituitæ proles sunt, suppurari ait Hippocrates. Cui Galenus comm. 2. in l. prognost. §. 35. 37. & 39. suffragatur.

Efficiens puris causa duplex est: una principalis, nimirum Natura, sive facultas concoctrrix: altera instrumentalis, scil. Calor. Vtraque enim ex monumentis Galeni elicetur. Sic enim ille de puris generatione comm. 2. aphor. 47. Pus ex sanguine ortum habet; qui semimalam transmutationem nanciscitur. Nam mala simpliciter cum putredine fit olida: sicuti quæ simpliciter optima, ipsa est partium nutritio. At quæ pus generat, medium inter has locum obtinet, neque à solo calore p. n. neque à solo secundum naturam fieri consue-

consuevit. Et lib. 5. simpl. c. 6. dicit, tres fieri in animalium corpore αλλοιώσεις. Primam plane esse secundum naturam coctionem scil. ventriculi, hepatis & vasorum, eamque spectare ad nutritiōnem. Secundam plane contra naturam, priorique contrariam, & observari in ijs, quae putrefacunt. Tertiam ex utraque mistam & medium: partim quippiam prima, quae est s. n. partim vero aliquid illius, quae p. n. existit, obtinentem. Alterationi enim, quae plane s. n. est, duo haec insunt: nemp̄ ut ex materia animantis familiariter fiat alteratio, & ab innato calore penitus superetur. Ea vero quae p. n. est, ab alieno fit calore, & ad nihil prodest. At media, quae suppurationes comittatur, ab innato quidem proficiscitur calore, sed non plane vincente. Neque enim ex materia fit prorsus benigna: neque tamen etiam ex omnibus mala. Quare, quemadmodum alterationes s. n. quae ab innato calore proveniunt, à simili extrinsecus juvantur, sic & quae in puris generatione observatur. Libro de tum. p. n. c. 3. monet, pus vincente natura fieri. Est enim, ut ex l. 5. simpl. c. 9. constat, εκτύπωσις ex numero naturalium operum, eo quod aliqua in ea concoctio perficiatur. Quod ipsum quoque l. 1. de differ. febr. c. 6. innuit, inquiens, suppuratio est quedam putrefactio, sed tamen & concoctio. Optimum quippe pus superante integrē Natura peragitur.

Forma puris in colore, odore, & substantia, sive consistentia posita est. Optimum vero pus iux-

ta

ta Hippocratem in prognosticis, & Galenum  
tum in comm, tum libr. I. de febr. diff. cap. 6.  
albus est, crassus, aequale, laxe, minimeque fæti-  
dum.

Album est, quoniam conficitur a calore vena-  
rum, arteriarum, nervorum, membranarum, liga-  
mentorum, osium, cartilaginum, aliarumque  
partium spermaticarum, quæ albæ sunt. Omne  
vero quod transmutat, in colorem sibi similem  
transmutat: ita dictante Galeno comm. 2. in  
prognost. §. 42. Est deinde crassum: quia sup-  
puratio est quædam concordio: ut habetur lib. 5.  
simpl. c. 9. At omnis concordio secundum Ari-  
stotelem l. 4. meteor. c. 2. fit incrassando. Est  
tertio aequale: quia calor insitus per omnes illius  
partes permeavit, & uniforme id reddidit. Est  
quarto laxe, eandem ob causam. Est quinto mi-  
nimè fætidum: quia calor nativus vicit extra-  
neum. Hic enim si superiores obtineat partes,  
tunc materia, quæ in partem influxit, corrumpi-  
tur, sicut & pars ipsa. Vnde putredo: unde fætor.

Pessimum pus notas habet plane contrarias,  
ob causas contrarias. Est enim lividum, tenue, in-  
aequale, fætidum, &c.

Malum differentias habet varias. Nunc enim  
in uno, nunc in pluribus accidentibus ab optimo  
recedit. Cujus rei causam Galenus l. 1. de differ.  
febr. c. 6. vel in naturam, tanquam causam effi-  
cientem, vel in humorem, qui in pus mutandus,  
tanquam materiam, refert. Nam natura quando-  
doque

doque adeò debilis est, ut suo officio perfectè fungi non possit. Interdum vero materia subjecta ita est viciosa, ut meliorationem non admittat.

Finis & Scopus, sive intentio naturæ in puris generatione est quidem assimilatio, sive nutritio. Verum, cum materia, cuius assimilationem natura intendit, ad eam inepta sit, ideo in tantum eam concoquit, & similem facit, in quantum potest. Quando vero eam ulterius coquere, & elaborare nequit, tandem illam expellit: idq; per partis, in qua suppuratio facta, facultatem expulsive: quemadmodum Galenus l. de tumor. p. n. c. 3. docet.

Ex hisce causis talem conficimus puris definitionem. Pus est humor putris, a facultate concordatrice per calorem nativum ex sanguine, carne, aliove humore, eum in finem genitus, ut peccans materia in quibusdam tumoribus, ulceribus, vulneribus &c. melius faciliusque evacuari queat, cum partibus, ut natura quidem intendebat, assimilari non potuerit.

#### IV.

An pus humor sit? cur putridum sit? Et num pus omne eundem putredinis gradum habeat? Pus humorum esse, sensus ostendit, quia humoris in modum difflit, nec suo termino contineri potest, illud maxime, quod est subtilioris consistentie. Huc accedit, quod ex humore sit genitum, & fluidam adhuc consistentiam servarit.

Putridum autem esse, exemplo inflammatio-

num

num declarari potest. Nam cūm in partem phleg-  
mone obfessam materia ejus decubuit, & per va-  
cua illius spatia est diffusa, meatus ejus undique  
occluduntur, & perspiratio, sive ventilatio inter-  
cipitur, unde perinde, atque alia omnia, quæ per-  
spiratu carent, & alieno in loco vehementius in-  
calescunt, computrescit.

Non est autē perpetuō par putredinis gra-  
dus in quovis pure. Nam si nativus partis calor  
admodūm debilis sit atq; infirmus, humor permul-  
tūm putrescit, omniaq; à natura plurimum rece-  
dunt: præsertim si ipsa quoque materia sit valde  
mala: sitq; pusolidum, nigrum, lividum, tenuē, &  
in substantia inæquale. Sin calor sit validus, &  
concoctrix facultas robusta, materia quoque non  
usq; adeò vitiata, putredo oritur levis, minimusq;  
fætor. Vitari tamen putredo non omnino potest,  
licet & concoctrix virtus firmis sit instructa viri-  
bus, & calor sat fortis, illumque humorem, qui in  
parte inflammata computrescit, substantiae partus  
assimilare satagit. Id enim ne assequatur, calor  
p.n. in humore putrido jam cōceptus impedit. Due  
quippe cause h̄ic se offerunt, quæ invicem pugnam  
exercent: calor s.n. & calor p.n. quarum quæ su-  
perior evaserit, notas suas puri imprimit, suamque  
victoriam odore, colore, & consistentia in lucem  
profert. Etenim, si pus fuerit album, lève, modice  
trassum, æquale, minimumque fætens, indicio est,  
coctrinem facultatem viribus pollere, caloremque  
nativum similiter se habere. Sin pus contrarium

app-

appareat, de imbecillitate virtutis coctricis, & languore caloris nativi attestatur. Vide hac de re Galenum plenius differentem lib. I, de dif- fer. febr. c. 6.

V.

Quid sint ἐμπλαστικὰ medicamina? unde di- cta? qualia sint? quo duplicitia? Emplastica me- dicamenta dicuntur, quæ poris corporis illita te- naciter hærent: seu quæ poros infarciunt atque obturant.

Nomen habent à verbo ἐμπλάσσω, ή ἐμπλάτ- τω, quod inter alia significat illino, infarcio.

Statuuntur ab authoribus duplicita. Quæ- dam terrena sunt, crassa & sicca: sed citra mor- sum: ut cerussa, calx, gypsum, exquisite lotum. Adhæc bolus Armenia, terra Lemnia, pompholyx, &c. Nonnulla tenacia, mista ex aquosa & terrena substantia. Tenacia tamen utraque; ac propterea ἐμπλαστικὰ. Posterioris generis sunt amyllum, ovi al- bumen, caseosa lactis pars, tener recensque caseus, tragacantha, gummi Arabicum, mastiche, adipes, qui nondum acrimoniam vetustate acquisiverunt, eoque magis, quod sicciores magisque terrei fue- rint: farina triticea, fabarum, cum ovi albu- mine, aut alio liquore subacta. Emplasticis reme- dijs opposita sunt τὰ ὀυπλικὰ, detergentia, quæ len- tos glutinososque humores visceribus, aut internis meatibus, aut etiam ulceribus cutisve poris p. No- adhæscentes, eluunt.

F I N I S.

2d 2663

ULB Halle  
006 549 195

3



WCM M







# Färbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

